



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Ejusdem voti approbatio ab Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

Dioecesi celebrari FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quoniam vero D. Archiepiscopus noster inter pias alias exercitationes, ad quas grassante lue hortatus est, voluit in primis ut ad sacrum Cor Jesu haberetur perfugium, credendum est festi hujus institutionem, non parum collaturam esse ad promovendum Dei gloriam; D. Archiepiscopo fore acceptissimam; fidelibus ad pietatem incitamentum, & toti Ecclesiae nostrae caelestium munerum fontem. Quibus auditis unanimi consensu deliberatum, statutumque est, approbante Archiepiscopo, FESTUM SACRI CORDIS JESU in hac Ecclesia post octavam Corporis Christi prima die, ex voto perpetuo celebrare. Qua die solemne sacrum faciet unus e DD. Canonicis; & sanctissimum Sacramentum publice adorandum proponetur, uti infra octavam Corporis Domini. Sed quia destinata huic festo dies jam praeteriit, hoc anno celebrabitur qua die solemnis omnium ordinum gratulatio divino Numini decerneretur pro fine contagii, & societatis ac commercii restitutione. Subscripserunt *Juliac* Praepositus. *Fourbin.* *Labarben.* *Lauthier.* *Villeneuve.* *Piolenc* Administ. *Reynaud* Secret. *Regusse* Canon.

De his monitus Archiepiscopus, rogatusque per Capituli Legatos approbationem.

Nos, inquit, Carolus Gaspar du Luc Archiepiscopus Aquisextanus, audita lectione memoratae deliberationis, hanc approbavimus & confirmavimus. Itaque statuimus, ac sancimus, ut FESTUM SA-

142 DE CULTU SACROSANCTI

CRI CORDIS JESU celebretur in perpetuum, in Ecclesia nostra Metropolitana, feria sexta post octavam Corporis Christi, & divina Hostia publice adoranda proponatur, ut fit infra octavam Corporis Christi. Hac vero prima vice celebretur festum, qua die fiet per Urbem solemnitas omnium ordinum gratulatio pro dato pestilentiae fine. CAROLUS, *Archiepiscopus Aquensis.*

ARCHIEPISCOPUS ARELATENSIS

14. Julii anno 1721.

Jacobus de Fourbin de Janson, Archiepiscopus Arelatensis.

PRæsenti Civitatis calamitate, pari eloquentia ac pietate Decreto suo exposita, aliorum Prælatorum exemplum secutus, dejectos civium animos ad fiduciam excitans.

Confugiamus, inquit, ad Christi vulnera, & sponsam cant. imitati, in has petrae scissuras semper apertas oculamus nos... Quem ob finem, ut fiduciam nostram excitemus, ut tutum asylum certumque malis nostris remedium invenire possimus, FESTUM SS. CORDIS JESU in Dicecesi nostra instituendum duximus, ac instituimus. Quod deinceps celebrabitur tempore ac modo, a Nobis post liberationem nostram assignandis, &c. Datum Arelate. 14. Julii. 1721.

CI-